



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

XXXI. Actu extrinseco matrimonium praesumitur adimpleri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

tenus, vel diuertere: nisi forte illi nupsit, postquam ad annos aptos matrimonii contrahendis peruenerit, & in eum suum omnino negauerit præstare consensum.

CAP. XXX.

Alexander III. Burdegalensi archiepiscopo.

Consuluit nos tua fraternitas, quid tibi faciendum sit de milite quodam, qui cum mulierem quamdam duxerit in uxorem, & eam longo tempore tenuerit, & prolem ex ea susceperit: nunc matrimonium suum accusat, dicens in quarto gradu consanguinitatis esse: ad quod utique consultationi tuæ taliter respondemus, quod si præfatus miles mulierem ipsam in facie ecclesiæ duxerit, & longo tempore tenuerit, non debet vox accusationis suæ admitti, nisi personæ aliæ & idoneæ appareant, & merito suspicionis carentes, quæ matrimonium ipsum velint & possint legitime accusare: nec heredes personæ admitti debent, si per viginti vel octodecim annos insimul sine quæstione remanserint.

CAP. XXXI. *Innocentius Vintoniensi episcopo.*

Super eo quod interrogasti de sacramento coniugii, breuiter respondeo: Illam quam dixisti, a patre coniugi traditam, & ab eo cui tradita fuerat, patri commendatam, donec statuta die in domum suam ille traduceret: dico quod legitimo consensu interueniente, ex eo statim coniunx fuerit, quod spontanea * voluntate sese coniugem esse consenserit, non enim futurum promittebatur, sed præsens confirmabatur. Quapropter quidquid cum alia postmodum factum est in coitu siue in generatione proles, tanto reprehensibilis est secundum, quanto verius primum. Constante enim primo, quanto amplius in Deum committitur, tanto magis culpa augetur. His ergo cognitis, facile erit negotium præsentium latoris tuæ discretioni debito fine terminare.

CAP. XXXII. *Idem Cassinensi abbati.*

Ex literis tuis ad nos directis accepimus, quod cum quidam secreto mulierem viduam subarrasset, & cognoscens carnaliter cohabitasset cum ea per annum, Mundualdus virum mulieris traxit in causam, proponens quod